

I. N. J.

DISSE<sup>17</sup>RATI<sup>O</sup>  
POLITICO - HISTORICA,  
De

VINDICE LEGATI  
DELINQVENTIS  
COMPETENTE,

*Quam*

Permissu Amplissimæ FACULT. PHIL.  
Acad. Aboënsis,

P R A E S I D E

Dn. JOHANNES  Wunster

Philosophiæ Practicæ & Historia-  
rum Prof. Regio.

Publicæ disquisitioni submittit

S. R. M. Alumnus

JOHANNES J. STECKSENIUS  
West. Bothn. Svec.

*In Audit. Maximo*

Ad diem 2 Febr: 1702.

---

Impr. apud Jo. WAL.

VI

Insigni Nobilitate, præclarâ Digni  
celebra

*Nobilissimo atque Consultissimo*

**Dominico** NICOLAO ALANO,  
Supremi per Finlandiam judicii Al-  
fessori gravissimo.

*Pl. Reverendo & Clarissimo*

**Marti** ERICO STEENBERGIO,  
Pastori in Halito Fidelissimo.

**Mecenatibus, Promotoribus**  
mi veneratione

*ANNOS FT FE*

**JOHANNES TOTHECRSLEINUS**

*Wif. Böppel Sac*

*et datus p[ro]positus*

*Ad diut. R[es]p[on]s. 1705*

*in W. obit. 1705*

RIS,  
tate , officiorumque amplitudine  
tissimis,

*Pl. Reverendo & Clarissimo Domino*

**M. ABRAHAMO BURMANNI**  
Præposito & Pastori in Offerdahl me-  
ritissimo.

*Pl. Reverendo & Clarissimo*

**M. GABRIELI STEENBERGIO**  
Pastori in Ingo Vigilantissimo.

atque Fautoribus, summâ ani-  
ætatem colendis,

**LICITATEM !**

**H**oice Viros Celebres, mea char-  
tula, qvæso saluta,  
Qui fuerant studiis portus & ara  
meis,

Pectoris ex adyris immensas red-  
deqve grates,  
Cernua pro meritis talia vota  
ferens:

**V**ivite Nestoream felices vivite  
vitam!

**E**t memores, Domini, jugiter  
este mei!

*Job. Stecksenius.*



## MEMBRUM PRIMUM.

### THES. I.



Vot qvantisqve curis  
atqve laboribus distrin-  
gantur Imperatores, in  
muniis suis sacris ritè  
obeundis, nemo facile  
ignorabit, qvi intento animo, varia in  
imperiis curanda, secum volutat..  
Qvippe, qvibus non solum incumbit  
tumultus sedare intestinos, atqve ut ci-  
ves habita ratione delictorum, prome-  
ritas dent ipsis pœnas, sedulò prospic-  
cere; versa autem vice, ut probis præ-  
mia honoresqve pateant, verum & ner-  
vos intendere omnes, fœdera ut cum ex-  
oticis regnis feriantur, rupta coalescant,  
& semel pacta, rata qvam diutissime  
maneant: utpote, qvorum neglectum  
bella aliaqve hujus generis mala effi-

A cere

cere satis superque observatum est.  
Cumque, tam variæ res expediendæ  
intra regni pomœria sece offerant, quæ  
tantum negotii Imperantibus faceſſunt,  
ut vix querimoniis litibusque subdi-  
torum ſufficient; nedum ut exteris  
nationes adire, ibique commorari, re-  
gnorum neceſſitates admittant, ē re eſt,  
ut Imperatores ſuis ministris, qui com-  
muni nomine Legati vocantur, pera-  
genda committant; ſcil. ut infulis digni-  
tibusque illi ipſi ornati, pacem con-  
ciliant, regni gloriam ſartam teatamq;  
ſervent, eaque læſa, vel alio duro ne-  
ceſſitatis telo urgente, bellum hosti de-  
nuncient; imò, qvidqvid reipublicæ in-  
ſervire deprehenditur, ſive ad imperium  
fulciendum faciat, ſive ad religionis  
ſanctimoniam illibatam tenendam con-  
ducat, id per legatos ſuos ſummus Im-  
perans ut effectum reddat, oportet.  
Verum, de eminentia pariter & utilitate  
Legatorum non nihil mecum volvens,  
non inutile, neq; tibi ingratum fore B. L.

ratus sum, si tenellum meum ingenium,  
 in diversis variorum Auctorum senten-  
 tiis de vindice competente Legati de-  
 linquentis, exercerem excolemque;  
 cum hac tempestate non parum in e-  
 ruditorum cathedra, quæstio illa nobilis  
 agitetur, quis potiori jure de legato de-  
 linquente pœnam sumat, an qui digni-  
 tatem communicat? anvero is, ad quem  
 est ablegatus? tantum autem abest,  
 Candide Lector, ut tenues has & exi-  
 les admodum lucubrationes, punctum  
 aliquod laudis à literatâ celebritate la-  
 turas, sperare ausim, ut etiam mihi i-  
 psi, nihil magis quam abortivus hic fœ-  
 tus displiceat, quippe, cum non nisi  
 perpaucas lineas de argumento hocce  
 nobili ducere licuerit, obstante rei fami-  
 liaris angustiâ, neq; eas ullis verborum  
 lenociniis exornare temporis brevitas  
 siverit.

### THESES II.

**C**um non solum diuturno usu inter  
 Christianos receptum sit, ut magna  
 pompa suos Legatos ablegent, alio-

rumque advenientes splendide excipi-  
ant; sed & pervetus gentium mos, cum  
ipsis civitatum primordiis introductus,  
ostendat, quām sancte Legati jure Gen-  
tium fuerint habiti, supersedere hoc  
labore satius esse autumo, quām mul-  
tis Legatorum probare existentiam.  
cum neminem, in re tam clara, veritati  
jam jam posse obliuctari, sim certissi-  
mus. Nam quāmvis prorsus incogni-  
tum, prīcis temporibus, Legatorum u-  
sum, nonnullos adserentes offenderim,  
eos tamen magis *απεξία* & malo proposi-  
to veritati obnoxios, quām in re luce me-  
ridiana, clariori hallucinatos fuisse suspi-  
cor. Neq; verò nos detineri finemus titu-  
li, & vocis præcipue τὸς Legati, frontispici-  
cio discursus adpositæ examine, quā alii  
ā legando seu ablegando, veluti *Απόστολος*  
ἀπὸ τὸς *Αποστόλων*: Varro \* autem ā le-  
gendo, id est eligendo vult derivatam,  
quod scil. Legati, animi ingeniique mu-  
neribus instructissimi ut mittantur, le-  
guntur. Neq; variis nominibus quibus  
in-

\* Lib. 4. Lat. Ling.

insigniuntur Legati, qvalia sunt Nuncii,  
 oratores, Ambasidores &c. ἀπό τοῦ ἀμφα-  
 δέντε, qvod significat mittere, diutius im-  
 morabimur; ὡς δὲ τὸ παρόδω observan-  
 dum, qvod Græci Legatos suos ἀρεσθέν-  
 τας καὶ ἀρεσθέας adpellant, ὅπ παρεσθέν-  
 τας τὴν Ἕβην, η τὸ πέρας τῆς Βίσ αυτοῖς ἐστι:  
 Germani Abgesanter / Gesanter / Sueci  
 Sendebud. Denique alienissimos nos  
 ab omni prolixitate fore in recensen-  
 dis variis Legatorum generibus ani-  
 mum induximus; alii tamen Legato-  
 rum honoris, negotii & officii causa  
 alegantur: alii tempore belli, qvos Fe-  
 ciales vocamus: alii verò perpetuo in  
 exteris regnis manent, qvi Residentes  
 audiunt. Illud quoque innuisse juvabit,  
 anteqvam ulteriorem Legatorum men-  
 tionem ingerimus, nos semper Lega-  
 tum proprie sic dictum, non autem  
 Commissarios, deputatos &c. commu-  
 ni voce propter ἀναλογίαν qvandam sic  
 dictos, indigitare, dum de Legatis no-  
 bis sermo fuerit.

THES. 3.

## THESIS III.

Cum non raro, tot tamq; magna  
 imperiis immineant pericula, ut  
 maximum detrimentum, si non omni-  
 modam cladem iisdem, circumvicini ho-  
 stes intentent, hinc necessitas flagitat,  
 ut vi animi, deficientibus viribus cor-  
 poris, iisdem obviam eatur. Nam,  
 quantum s; p; enumerò agilitati robo-  
 rique corporis antister industria, id ra-  
 tio instituti nostri fusè perseqvi mini-  
 me permittit. Sed nec è re est, cum  
 exemplis innumeris historiæ abundant:  
 qvid qvod variis documentis rem com-  
 probatam illustratamq; à genitoribus  
 nostris fando accepimus. Res ergo in-  
 dustriæ est plena, ut nutanti Reipublicæ  
 statui, si non armis, attamen consiliis,  
 subveniatur. Cumq; hæc negotia tanti  
 sint momenti ut iisdem salus innitatur  
 publica, tum literis non tutò committun-  
 tur, ut potè qvæ casu intercidere pos-  
 sent, & sic res arduæ, vel nihil minus  
 s; p; qvam moram admittentes, plane  
 eliminarentur, vel etiam in manus ma-

le-

levolorum incidentes, interciperentur,  
atque adeò ea quæ alto silentio invol-  
venda essent literis credita facilè divul-  
garentur. Igitur non nisi hominibus  
fidei prudentiæqvè spectatæ hujusmo-  
di negotia erunt demandanda. Nam  
solummodò literis aut nunciis regni ne-  
gotia tractantur, teste Auctore libri qui  
inscribitur, qvæstio vetus & nova p. 3.  
Cumqve Reges tam diversis curis intra  
regnum onerati, illa peragere neque-  
ant, uti paulo ante diximus, neque fa-  
tis tutum sit ut regnum alienum intrent,  
hinc eam provinciam aliquibus subdi-  
torum offerri necesse est, qui sunt Le-  
gati & nomine Regis, publica obeunt  
negotia, manu non militari, sed facun-  
dia singulari, & sua ingenii acrimonia,  
res ibi conficientes, quo solemniter  
mittuntur. Inter alia qvidem, hanc po-  
tissimū gentibus nationibusq; gubernan-  
dis desiderari, cum nemo non animad-  
vertat; ita & Legatum, qui spartam tam  
molestam tamq; præclaram suscep-  
rat, præ cæteris animi dotibus ejus-  
mod

modi ingenii perspicacitas commendat expeditumque reddit, ad prompte & prudenter res efficiendas. Cui industriae, ut magna lingvæ volubilitas accedat, oportet, quod æque Legati in animi sensis exprimendis invenias industriam, quam solertiam in deliberando cernas. Infucata pietas, ut & studium maximum patriæ in Legato radiabunt, cum patria Legati opera sublevanda, non autem deturbanda sit, & si non aliud religio efficit, saltem pietatis de illo concepta opinio, apud alios etiam Legatum reddit venerabilem. Hæc, quod plures aliarum virtutum comites habuerint, eò præstantiorem Legatum faciunt in mandatis sui Principis exequendis.

#### THESIS IV.

**P**orrò, de Legatorum sanctitate paucis acturi, extra dubitationis aleam possum esse putamus volumusque, quod prærogativa insigni, præ cæteris mortalibus, gaudeant Legati, quam diu legationibus funguntur: idque vel ex eo constare

9

stare credimus, qvod sanctitatis titulo  
insignitos esse Legatos, in historiis aliisqz  
scriptis passim reperimus; sicut di-  
num eos genus semper existimatos es-  
se, aut certe inter Deos hominesqve  
medium, nec nisi â læstrigonibus, cy-  
clopibus, aliisqve, qvi fas non norunt,  
aliter cogitatum esse, Eustachius pro-  
bat. Sic quoqve Jovis atqve hominum  
nuncios, Princeps Poëtarum Homerus,  
Legatos appellat. Hos quoqve eam ob  
causam sanctos vult Marcianus †, qvia  
Sagminibus instruci semper Legati Ro-  
manorum incedebant, atque inde etiam  
rò sanctum deduci, una cum multis a-  
liis, contendit supranominatus Marcia-  
nus, non secus ac signa sanctimoniaz  
suæ, Græcorum Legatos ceryciis osten-  
disse fertur. Hujusmodi signa qvon-  
dam in usu fuisse inter alios Virgilius  
detegit, ubi Poëta de Legatis canens  
Æneæ, eorum signorum hunc in mo-  
dum meminit:

B

Tum

† Lib. 8. de divisione rerum.

*Tum satus Anchisâ delectos ordine ab omni,  
Centum oratores, augusta ad mœnia Regis,  
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes.*

Cumqve illud sanctum sit, qvod ab injuria hominum est munitum, adserente saepenominato Marciano, & qvod omni observatione inviolatum est, teste Donato, qvis ergo non videt, flagitium esse, Legatos violare. Itaqve & optimè Cato dicit: *nemo homo nocet Caduceatori*, confirmante illud proverbio; *Legatus neque ceditur, neque violatur.*

### THESIS V.

**J**us autem Legatos mittendi à personis privatis abesse, cum nemo sit qui non videat, hinc facultatem reddendi aliquem subditorum participem hujusmodi legationum sanctitatis, solum iis adsignamus, qibus summa rerum tuerenda tradita est. Summos Imperantes enim longe major cura attingit Reipublicæ consulendi, quam alios privatos, hinc & potestas Legatos mittendi ad illos spectat. Nam sicut privatis, dum ra-

tionem rei familiaris habere, vel non va-  
lent, vel etiam detrectant, pro lubitu  
hanc curam aliis demandare observa-  
mus; ita & Regentibus concessum, di-  
gnitates, & sub illis latentes curas, in  
subditos transferre; scil. Legatos sibi fi-  
dos eligere, mittere, diplomate seu li-  
teris credentiis munire; idqvè ideo  
maxime, qvod non alterius, sed sui i-  
psiis nomine, Princeps mittens Lega-  
tum, apud exterros commendat. Qvare  
& non nisi sedulò dispicere solet, ut  
morum optimorum studiosissimi, lite-  
rarumqvè splendore conspicui Legati  
designentur, ne vel dissolutè viventes,  
missi, exoticis lese deridendos propi-  
nent, sibiqve, qvi his muniis improbos  
admotos voluit, notam ignominiae inu-  
rant. Igitur & Cyrus, diligentissime  
à teneris (uti ajunt) ungivculis, inter  
primos suum Legatum educari instru-  
iqve curavit. Qvamvis itaqve, non nisi  
illi delegantur, in qvibus virtutis indeles-  
fulget, qvippe singhlari tenentur cupi-  
dine cuncta sibi commissa perficiendi;

sicut & non raro sedulitati conatus re-  
spondet: sicut tamen aliquando fieri  
observatur, ut dum vel bene multa ex-  
pediverint, & reliqua omnia sua facta  
mandatis Principis æquare adnituntur,  
tum læpissimè in vitia quædam gravi-  
ora incidunt, vigente nimis communi  
mortalium fragilitate; pro vir-  
tute audacia; pro honestate dede-  
core; ut prosapiæ nobilioris fœminas  
corrumpant virolyè interficiant, quo-  
rum dignitas, cum vix talis lenseri que-  
at, ut patrum facinus excusat, quin  
satius, vel morte, vel alia poena, factum  
esse expiandum, rei commissæ atrocitas  
svadet, rectaque ratio dictat; unde in  
diversissimas sententias principes abe-  
unt, arrogantibus sibi nonnunquam u-  
trisque Imperatoribus, æque excipien-  
te, quammittente, Legatum hujusmodi  
judicium, faventibus quoque amborum  
sententiis Politicis, qui, rationibus su-  
am sententiam stabilientibus, ab utraqve  
parte non destituuntur, quas tanto

Iubentius seorsim adductas volumus,  
qvanto rem in ambiguo hærere primo  
adspctu patet.

## MEMBRUM SECUNDUM, THESIS I.

**I**mprimis nonnulli, ut in aliis disciplinis benè multis desudarunt, ita & ci-  
vilium rerum non levi scientia im-  
buti, argumentis non fculneis evincere  
conantur, luere debere pœnam Lega-  
tum delinqventem, ibi commodissime,  
ubi legationem tunc temporis obit.  
Illorum palmariæ rationes seqventes  
sunto: Qvod patrocinari sibi jus gen-  
tium frustra & præpostere Legati ex-  
pestant, qvi in vitiis suis grassantes il-  
lud despiciunt, neqve ullibi morem ge-  
runt; non secus ac homo obesæ naris  
is verè audiret, qvi vitiis indulgendo  
legem transgreditur, & in ius tractus,  
spretæ legis auxilium imploraret: ibi  
enim plus damni, qvam alioquin præ-  
sidii offenderet. Dignitati itaqve Le-  
gatorum qvamvis nihil qvidqvam de-  
ro-

rogatum, neqve eorum immunitatem  
ullo modo diminutam, hujus sententiæ  
propugnatores velint, qvamdiu sibi  
hanc eminentiam sartam teatamqve  
Legati servant: tantum tamen abest, ut  
hanc prærogativam illis largiantur,  
dum vel Principi, vel cuidam subditorum  
insidias moliantur, vel Totius Reipubl.  
interitum machinentur: utpote  
qvorum dignitatem protinus expirare  
contendunt, dum non Legatorum sed  
proditorum munia peregrisse convin-  
cuntur, adeoque nullo jure obstante  
posse eos comprehendi, in vincula pu-  
blica conjici, & pro magnitudine va-  
rietateqvè delictorum, vel morte mul-  
ctari, vel alio in honesto modo plecti:  
non aliter qvam de Tribuno plebis  
Rom. accepimus, quem in tantum po-  
pulus sanctissimè coluit, in quantum jus  
eorum illibatum tenuit: qui si perperam  
ageret, vel in populum insurgendo, vel  
alio in honesto modo sese gerendo, ma-  
gistratu abdicabatur: cum sic non po-  
pulus, sed propria vitia magistratum.

Tri-

Tribuno exuisse viderentur. Hoc qvoqvē  
præcipuē eam ob cauā urgere videntur,  
cum de Legatis domum missis, ad de-  
bitas subeundas pœnas, nullum plerumq̄  
vel leve prorsus sumitur supplicium; &  
sic contemptus atrocissimi Legatorū faci-  
noris, non modo D̄eum in iram provocat,  
animosq̄e cordatorum exagitat; sed &  
m̄cerorem longè gravissimum illis pro-  
creat, qvos Legati turpiter injuria ad-  
fecerunt. Nam qvamvis locus vindi-  
ctæ relictus sit, nimirum, ut in aper-  
tum bellum injuria erumpat, magis ta-  
men Reipublicæ prodesse volunt, de re-  
tentō Legato pœnam exigere, qvam  
spe alienæ vindictæ Legatum demittere,  
& tandem tamen unicè ejus causa belli  
discrimen adire; qvipp̄ piaculum cen-  
sendum, est uno solummodo delinqven-  
te, tranquillum Reipubl. statum ancipiti  
fortunæ & belli eventui committi de-  
bere, ubi causa & qvē cadere, qvam  
triumphum agere qvis potest. Itaq̄ qvā  
huic communi malo obex ponatur, hu-  
jus sententiæ Auctores, non accedere

putant, ut comminiscāmur, vel asseveremus, jure gentium Legatis procacissimè delinqvētibus deberi tutelam; quasi insidiis princeps adpetitus, nec hanc nec aliam sibi tuisque illatam injuriam posset vindicare. Nam sicut non commendatur indulgentia Principis, quæ adfulgendo facinorosis illis animum addit ad malum crebro commitendum; ita & laudi neqve Imperatoribus ducitur, delictis patrocinari Legatorum, cum & à justitia sit alienum, & his ansam præbeat peccatum iterandi, aliisque legatis eadem vestigia premendi. Neqve Princeps qui aditur ita tenetur Legatorum sanctitatē tutari, ut suam amittat, subditorumquæ commodis non prospiciat: sic enim jus illorum cum suo suorumquæ detrimento effet conjunctum. Adjici denique posse videtur, quod Princeps qui Legatum misit, tanto minus præsidium damnandi absolvendivè sibi arrogare potest, quanto cognitum habemus, haud raro Principem prætexere, quod Legatus à man-

da-

dato suo aberraverit, ne vel Auctor, vel  
conscius facinoris fiat, qvi cum jussu sui  
Principis non facit, non ut Princeps ho-  
norandus, sed ut Privatus delinqvens pœ-  
nâ erit adficiendus. Cumqve ex anna-  
libus constat, multoties Legatos non su-  
am ob causam, sed propter, vel sui Prin-  
cipis, vel etiam subditorum, vitia, fuisse  
punitum, qvare æqvum erit fateri,  
qvod Legatum flagitio dignum sequa-  
tur supplicium. Reum enim rectius  
feriunt cruciatus qvam insontem: &  
peccata suos tenere auctores, Lex fla-  
gitat.

### THESIS II.

**V**erum hanc qvoqve sententiam, ex-  
emplorum imaginibus substitutis,  
amplius proseqvemur, utpote, qvod Le-  
gati ubi qvid atrocissime perpetrarunt,  
ibi qvoqve pœnas perpeSSI sunt. Præ-  
primis itaqve se se offert gravissimum  
supplicium Dandali Venetorum Legati,  
qvē oculis orbatum Emanuel Imperator  
Constantinopolitanus domum relegavit,  
qvod liberius in publico, & qvidem in

C

præ-

præsentia ipsius Regis locutus fuerat.  
sic enim si non mortem, at morte qvid  
pejus, petulantissima sua lingua Legatum  
promeruisse apparet. Postulata Persi-  
corum Legatorum ægre ferente Ale-  
xandro Severo, illos majestate exuit,  
neqve sine ignominia summa domum  
remisit. Dum finibus Thebanorum  
Thessaliam adjungere Pelopidas gesti-  
ret, neqve quo pacto rem adgredere-  
tur facile cerneret, tandem tamen o-  
mnibus Thebanis tutissimum ejus vi-  
sum est inventum, ut Legatum se si-  
mularet, cuius sanctitatis praetextu fa-  
cinus excusatum iri omnes sperabant, si  
sceleri intentus Pelopidas circumveni-  
retur. Sed præter spem res cecidit.  
Nam cum Ilmenio in suo proposito de-  
prehensus, à tyranno Alexandre Phe-  
ræo carceri inclusus est. Non modo  
simile qvid, sed longe gravius Persarum  
Legatis evenisse in errore quamvis di-  
spari constat: qui nimur morte sub-  
lati sunt, eo quo i benè poti, fœminas  
mensæ adsidentes, oculis, nutibus, aliisq;  
pe-

petulcis adfectibus ad res venereas ciere  
incepissent. Existentibus Madriti Vene-  
torum Legatis, & capite Legationis  
suos asseclas ad justitiae ministros in-  
vadendos instigante, eo usque res de-  
ducta est, ut Rex Hispaniæ Philippus,  
omnes hosce delinqventes, in jus vo-  
candos voluerit, qvò supplicia uti me-  
riti fuerant, penderent, qvorum alii  
fustigationis, alii capitis à Senatus con-  
sulto sunt damnati. Hic quoqve Rex,  
Principes Christianos omnes, certiores  
fecit suis literis iisdem datis, quantum  
abhorreret à nimia in Legatos indul-  
gentia, qvam justitiam subvertere bene  
multis aliis documentis, maxime vero  
suo detimento declaravit: nam justi-  
tiam tum Legatorum pedibus fuisse ob-  
tritam, qvis non facile afferet? Nece  
sua etiam homicidium solvit frater Le-  
gati Portugallie, qui mislo per fene-  
stram telo destinatoqve consilio nobi-  
lem qvendam in Anglia interemit.  
His alienis exemplis domesticum adjiciemus. Magnus Moscoviae Dux Iwan

Vasilowitz , bestia potius quam homo nominandus, ut subditorū sanguinis fluminibus Moscoviam suam inundare non timuit , ita & suam sacerdotiam in Episcopum Aboensem M. Paulum Justin , & Antonium de Dysterby Legatos Sveciæ exercere non reculavit, qui sublatis bonis eorum, etiam illos comprehendit, atque in vincula projicit : quod mandata Regis nostri gloriosissimi Johannis Tertii transgredi noluerunt. Unde exemplis colligere licet, non jure gentium semper exemptos suis pœnis fuisse Legatos ibi loci, ubi quid impudentissime commiserunt.

### THESES III.

**H**anc quoque sententiam, rationibus inniti est jure civili defumtis, ostensu non adeo difficile, Si nostri modo esset instituti, existeret. Nam cum iudici territoriali incumbat ad legum tenorem æque in exoticos advenientes, quam in districtu natos animadvertere, quid obstat, quin & Legati legum vigori subjungentur: cum & illi aliis extraneis

neis veniant annumerandi? Si denique aliquis in facinore deprehensus, forum sibi eligere præscribere nequit, excludente omnem hujusmodi honorem reatu, hinc & jure infertur, quod Legati ubi deliquerunt, ibi puniendi erunt, et iam si vel maxime ad jus domesticum provocarent, licet quoque Princeps qui Legatum misit, pœnis eundem vellet liberare, tanto magis tamen ejus studium incassum abiret, quanto fines sui regni excedens, & in alieno solo peccans, sibi ipsi patrocinari nequit; quod unice exemplo Mariæ Reginæ Scotorum patescit, quam justa de causa in Anglia vitam insumssisse Arnulfæus\* ostendit, quæ in interitum Elisabethæ Reginæ Angliæ conjurasse incusatatur, conjurationisq; convicta supplicio ibidem dabatur. Quare de dignitatibus Imp. inquiunt Judices, qui sceleribus se maculatos volunt, exuti honoribus interpellimos quosque plebejosque habeantur, nec illi honore glorientur, qui indignos sese honoribus ostendant. Igitur Sanctos soluñodo Le-

gatos esse volunt, qui huic sententiæ  
subscribunt, ab injuria hominum, non  
item magistratum jure: εἰσὶ γὰρ οἱ ἀρ-  
χοὺς διάκονοι τοῦ Θεοῦ, οἱ γὰρ εἰκῆται μάκαρες  
Φορέστι, juxta illud Apostoli, \* quorum  
quocque est sua regna omnibus criminib-  
us purgare, ubi aliquando non minima  
Legatorum vitia inveniuntur. Hac enim  
ratione, quorundam Legatorum animi  
promptitudo obstaculum inveniret, qvi  
busvis vitiis semet immiscendi, cum sic  
non freti aliqua immunitate legationi  
debita, optime intra suos cancellos con-  
tinerentur, cautoresque in vita sua insti-  
tuenda multò redderentur. Ultimo quoq;  
potestatem ferendi sententiā, dum Lega-  
ti deliquerint, eo magis sibi vendicare po-  
test provinciæ Præles, quo leges Legatis  
constituere potest, scil. octavam partem  
pretii mercis, quas Legati introducunt,  
vestigalis nomine exigendo. \* Verum  
has rationes iam sufficiat in gratiā eorum  
adhibuisse, qvi hanc Sententiam præ al-  
tera amplecti conantur.

MEM-

\* Rom. 13. \* l. 8. c. de vestigal.

## MEMBRUM TERTIUM.

## THES. I.

**H**æc & plura hujusmodi argumenta; qvæ brevitati litans adducta ampli<sup>9</sup> nolo, qvamvis Hugo Grotius, aliquæ ejus sententiæ adlertores viderint, tantum tam en abfuit, ut Hotomanno, Kirchnero, Bruno &c. adsensum subjecerint, ut aliam opinionem è diametro huic oppositam foverint: videlicet, qvod Legatus delinqvens apud suum, non vero exterum Principem dabit pœnam, quod vel unice patere Legatorum sanctitate putant, de qua non nihil in antecessum diximus, & Seneca de ira loqvens, eandem unanimi gentium suffragio suffultam ostendit, dicendo: *violavit Legationes rupto gentium jure.* Ideo & Lacedemonii, qvod feciales interfecerant, Persarum συγκέντων πάντων τοις ἀνθρώπων ρόμηα dicuntur. Sic Curtium quoque Tyros, ejusdem criminis insimulare, in propatulo est, qvod Legatos Alexandri contra jus gentium  
ē

è medio sublatos præcipites in altum e-  
 gerint. Ex qvibus animadvertisimus, qvam  
 sanctè Legati sunt habiti: ut facile nondi-  
 xeris, utrum jure gentium magis ini-  
 qvum, qvam impium, fuerit judicatum  
 sanctimoniam lædere Legatorum. Nisi  
 qvoque protectione vallarentur Legati,  
 qvæ consensu gentium illæsa illis ser-  
 vanda esset, tum perdita occasione sus-  
 cipiendarum gerendarumque rerum,  
 Societas periret. Itaque oportet ut æque  
 exardente bello, qvam serenissimæ pa-  
 cis tempore patrocinium Legati iuve-  
 niant: de qvo & Cicero pro Vervina:  
*Nonne Legati inter hostes incolumes esse*  
*debent & Gentiles \** Si dum amissa le-  
 gatio sit, interea utriusque armorum fa-  
 ces exardescant, nihilominus Legatorum li-  
 bertas & securitas salvæ manent. Qvod  
 cum ita sit, ut Legatis debeatur protecōio,  
 unanimi gentium suffragio, eo qvod  
 legationes tanta cum utilitate conjunctas  
 viderint in fœderibus ineundis, qvid  
 aliud centendum, qvam qvod lex gen-  
 tiū

tium tacito consensu, ex respectu com-  
 munis utilitatis sancta conculcatur, si  
 Legatos comprehensos, etiam in suis pro-  
 priis delictis, quis corriperet. Sic enim  
 æquè in Sanctos, quam in privatos læ-  
 vire fas esset. Qvod si igitur non modò  
 detestabile, sed & impium fuerit. Roma-  
 norum more, violentiam in sanctos ex-  
 ercere, quales suos Tribunos esse volu-  
 erunt, quorum corpora nullam pœnam  
 subire jure debuerunt, respuente eorum  
 sanctitate, non min⁹ publicam quam priva-  
 tam vindictam, quare & Legatum Magi-  
 stratus ut plebejum suspiciat, atq; invitū  
 comprimat? cuius Sanctitas æque ma-  
 gna, si non multo major, quam Tribuno-  
 rum rectissimè statuitur. Quare & Am-  
 mianus Legatorum Sanctitatem pensi-  
 tans, dixit: *Legatorum. injurias sempi-  
 ternus justitiae vigor vindicat.* Hæc ar-  
 gumenta quamvis solida satis sint, pon-  
 dus tamen & vis maxima illis accedit,  
 dum reputamus, quod non ausu proprio  
 regnū intrant, sed solummodo venia im-  
 petrata, & fide Principis' ceu infallibili tel-  
 sera de ingressu egressu libero interpo-  
 D si-

sita. Qvod si igitur privato, turpitudini  
ne dicam infamiae est, ut mentiatur, mul-  
to inhonestius esse videtur, ut Princeps  
Legatos sub publica fide admissos, pro-  
pter delicta carceri mancipet, discessu  
prohibeat, tandemque puniat; nam hoc  
ipso, qvod à promissis alienissimum est,  
committit & semper crimen eo gravius  
à nobis concipitur, quo personæ sunt di-  
gniores qvæ fallunt & falluntur. Praesta-  
bilius denique esset advenientes Legatos  
ab ingressu regni arcere, quam intromis-  
sos illicite excipere. Nam criminis com-  
missi in suo regno Princeps Legatum ar-  
guens, inconstantie & ipse arguitur in  
fide Legato addicta servanda, quam ta-  
men Principem minime ruptum sperat  
Legatus, permisso illi saltim in regnum  
ingressu. Sed ad exempla properantes  
hæc missa faciemus.

## THES. II.

**Q**uo autem magis eluceat, quanti fi-  
dein publicam pristinis temporibus  
fecerint gentes, juvabit exempla qvædam  
in medium adduxisse, qvæ nobis non mi-

nus sacræ quam profanæ Historiæ sup-  
peditant. Illorum numero, quos fidei  
publicæ observantissimos tuisse accepi-  
mus, & ejus rei gratia nunc a posteris  
commendantur, non ultimum locum oc-  
cupabunt Principes Israelitici, quorum  
Josua meminit, qui Gibeonitas exteratos  
se simulantes, unice data fide publica, vi-  
tæ periculo exemptos voluerunt, quamvis  
fraudulentia illorum post triduum per-  
specta, eos neci dare potuissent, quibus  
tamen parcere, fidem publicam jubere,  
rati sunt. Speciosa non minus Roma-  
norum fides fuit. Nam manus victas  
præbentibus, in prælio navalی apud Si-  
ciliam instituto, Pœnis, eorumque Duci-  
bus fractis animis consilia petendæ pacis  
agitantibus, Amilcarē adeò horror per-  
strinxit, ut Consules ad fœdus pacis  
teriendum adire nollet, verens ne cate-  
næ sibi pari modo injicerentur, quo Cor-  
nelius Afina iisdem apud Carthaginen-  
ses fuit detentus. Qvod itaque pusila-  
nimitate auspicari dubitavit Amilcar,  
illud audacter Hanno, velut melior fidei

publicæ æstimator adgressus est, qui singuli  
lari animi fiducia ad colloquium Senatus te-  
tendit, & negotio de pace recuperanda  
proposito, absq; minima noxa, domū à  
Romanis demissus est. Dum Tarquinii, spe  
recuperandi amissa bona, animos nobiliū  
Romanorū ad defectionē Regesq; tollen-  
dos, per suos Legatos tolicitare adniterē-  
tur, & largitionib⁹ pariter ac crebris polli-  
cationib⁹ Legati non paucos ad tam ne-  
fandū Icelus induxisserunt, tandem tamen res  
uti sese haberet cum agitato hocce faci-  
nore, ad Consules defertur, per servū qvē-  
dā, qui, qvod antea clanculū de proditio-  
ne subodoratus fuerat, in commodius ali-  
qvod temp⁹ distulit, donec omnes qui ju-  
ramenti religione sese obstrinxerant, Se-  
natum ad Vitellos convenisse vidiſſet, ibi qz  
Legatis literas in tessera suæ constantiæ  
nobiles dedisse obſervasset, dum Magi-  
ſtratui indicat, quid cum Legatis nobiles  
machinarentur. Qvare Consules suo ad-  
ventu omnia interturbant, proditoresq; è  
comprehendunt. Itaq; qvamvis visi sunt  
digni Legati ut hostiū loco eſſent, jus ta-  
men-

mē gentiū valuit, impune id ferrent, Livi⁹ dicit. Volscos explorandi gratia advenisse, qvāvis bene videret Posthum⁹ Dictator, cū qvod fama de speculatorib⁹ acceperat, re etiā comperiret, eis tamen, licet Speculatores fuerint convicti, intuitu legationis Sanctitatis, delictū remisit. Instituente Judæorum Rege Herode, magna pompa cœnam, qvō, excepturus Arabum Legatum, ejus adfluentia, non min⁹ in præparando, qvam liberalitas in dando exsplendesceret, & Legato inhonestè lēse sub cœna gerente, Solomonē, nimirū, Sororē Regis, non modo nutu, verū & reliquo corporis habitu ad libidinem composito, adspiciendo; Herodes qvidem graviter indignatus est, ita tamen ut nullis Legatum pœnis affligeret, solummodo jussus est infectis rebus discedere. Viennā, cum qvondam Legatus Poloniæ suos aurigas ligna scissum emisisset, illiqvè inde discedentes in silvam Viennæ vicinam & magis deliciis, qvam usibus Imperatoris interficientem substitissent, vel qvod longius iter vererentur, vel silvæ essent i-

gnari, tandem tamen multis caris procerisq; arboribus amputatis, curruq; cui octo eqvi jungabantur onusto, Viennam versus iter ingrediuntur. Qvo vilo, Imperator Ferdinandus irâ qvidem incensus est; adeo, ut eos graviter increparet, ita tamen ut nullas ab eis pœnas exigeret. Deniq; qvamvis Zbigne<sup>9</sup> Cardinalis Legatus Polonorū, capitis periculo pœnā exolvere potuisset, qvod convitiis Sigismundū Cæsarem adortus fuisset, jure gentium tamen servatus est. Ex hisce jam constat, qvod nullam pœnam multi Legatorum propter sua delicta luerant: ut cum vero optime quadret illud Hugo-nis Grotii effatum: qvod exemplis solis nihil facile de Legatis colligitur; extant enim exempla in utramque partem.

### THESES. III.

**H**anc qvoq; sententiam suffultā esse rationibus e jure civili petitis, non est ut probemus: id tamen inde patere credim<sup>9</sup>, qvod sicut protectionē primariō à jure civili non habent Legati; ita & pœnis non erunt subjugandi illis, qvas Leges Civiles sub-

subditis errabundis prælegunt. Nam cum illi, qui præsidio juris gentium non gaudent, legibus civilibus subsunt & non alibi nisi ab illis patrocinium habent; ita & Legati cum jure gentium protegantur, non autem jure civili absolute, præcipue ad jus gentium provocant, ibique suam tutelam inquirunt, inveniuntque. Sic existentibus Legatis pariter & aliis ejusdem regni cum Legatis in regno alieno, ad quod illi jure gentium liberi accesserunt, hi vero patrocinium à legibus civilibus fortiti illud intrarunt, tum illi, bellum ubi ingruit, ifmudes omnium pœnarum demittuntur, Cives vero tempore belli patrocinio legum civilium excidentes, pœnas subeunt. De quibus Tryphonius: quod eorum servi efficiuntur, dum apud hostes manent. De legatis vero Pomponius hunc in modum: si, cum Legati gentis aliqui jus apud nos sint, bellum exarserit, tum liberi manent, quia id juri gentium convenit. adstruente idem Thryphonio: Legati apud eos comprehensi apud quos bellum exortum est, jure gentium liberare suam retinent. Deniq; non debili sententia iugixa fundamento videatur, dum pen-

sita-

sitamus, jure imperatorio multis indulgeri, ut non plebeiorum more à Judice territoriali de illorum delictis qvæstio habeatur, vel etiam si manifestissimum fuerit facinus, ut à judice loci sententia feratur, sed ab aliis judicibus inquiritur judicaturqve, sicut experientia illud non minus testatur, qvam literarum monumenta ostendunt. Itaque si judicis territorialis non refert, omnes suo districtui subjacentes pledere, multo minus arrogare sibi nequit imperium in Legatos, qvi aliis tanto præstant, qvanto Rex Subditis antistat, & sic vel ideo jurisdictioni provinciæ eximuntur, qvod privati multi singulari privilegio, eadem non obstringuntur. Cumqve Regem quodammodo repælent ut antea innocuit Legatus, qvis non judicet ab honestate & æquo longissime abesse, ut aliquis Legato supplicia irrogaret: id enim non tam in despectum personæ Legati, qvam ipsius Imperatoris cuius vices apud exterios obit, spearet. Sed manum de tabula. Sic iam utrasque sententias cum suis argumentis propoluimus, Qvarum posteriorem tibi B.'L. præ altera commendamus cum non videantur tanti momenti argumenta prioris ut non possint refelli, de qvi-  
bus forte nobis occasio differendi dabitur

εν συζητησι.

SOLI DEO GLORIA.